

in factis, ac quod deterius est, nos turpissimis sermonibus infamando, qui generantes ubique lites, ad interitum proferentes inducunt, corrumpunt spiritus mansuetos et vulnerant quietem pacificam appetentes, cute carente vulnere; vobis dicendo mandamus, quatenus alterum istorum non differatis eligere: vel satisfacere integre de offensis, vel ad ea que fuerint proposita florentino populo, respondere. Per alterum istorum namque si factum fuerit, speramus posse quiescere, et in quiete nobiscum pari dilectione gaudere ».

Haec enim scripserunt, ut tumultus populi sedaretur, et ut aliquo honore recepto, quiescerent. Qui taliter rescripserunt:

« Nobili viro A. Dei gratia florentinorum potestati, P. (1) eadem gratia pystoriensium potestas, salutem et omne bonum. Miramur super prudentiam vestram, super eo quod vobis scribere placuit, nos in pluribus accusantes; quod alterum istorum deberemus eligere: vel satisfacere de offensis, vel ad ea que fuerint proposita florentino populo respondere. Unde cum haec non videatur honesta petitio, nec in se continens aquitatem, significamus vobis, quod cum sentiamus nos esse penitus inculpables, nec simus alligati, nisi amicibili societate, nexibus alicuius, non decet nec expedit satisfacere. Tamen recusare non possumus ad ea que fuerunt proposita, iuvante Domino, respondere. Igitur succumbat invidia, dominante prudentia, que descendens in quemque per gratiam, neminem ledit, et patiens et benigna non patitur iniustitiam ».

Auditis igitur viribus litterarum, quarum potestas et verba non discrepant intellectu; moti sunt contra eos graviter florentini: quoniam inter cetera respondentes ut pares, non distinxerunt tempora et virtutes, ac commendantes prudentiam, que patiens et benigna non patitur iniustitiam, suscitarunt opera questionum. Item imponentes invidiam super se ipsos utique fabricarunt; quoniam naturaliter ipsa non habitat in maioribus. Statuerunt, sumpto consilio, eorumdem terras violenter intrare, ut saltim illorum potentia cognita, desisterent adversari. Appropinquate igitur tempore quo estas sumit initium, illa guerifatrix campana sonuit, et ut moris est, annuntiata dies itineris per preconem, intraverunt ea die florentini pistoriensem hostiliter comitatum, victorioso preeunte carrocio, comburendo villas et loca regionis tote destruendo. Et ascendentes montem qui dicitur Monsfloris, turrim excelsam super eo hedificatam destruxerunt, liberatis ex pacto defendantibus ipsam: et descendentes in planitiem, consilio sumpto, civitatem proposuerunt vincere obsidendo, quodam nobili inter cetera hoc modo dicente: « Ecce aggredimur civitatem gente bellicosa plenam, cuius dementia quia sic crevit, audaciam infructibilem generando, sine dubio preliabimur cum eadem. Opus est igitur patrum vestigia sequi; quam in partibus istis in campo Piceno tempore nobilis Catiline fuerunt adepti victoriam, expedit recordari. Oportet igitur in bello esse quemque constantem, et fortius quando contenditur cum minoribus; quoniam vituperabilis esset occasus. Minores tamen non dico domi se non defendantes; quoniam licet dicitur homo pro dimidia pugnatur insultu, plerumque tamen locus supplet numerum et defectum, ut reviviscat antiqua Victoria per vestra victoriosa opera renovata, et successorem (sic) ortetur ad idem. Procedamus igitur in nomine Ihesu Christi, et ne tantus sanguis aspergatur, et ne fiat corporum tantus occasus, et ne tantus interitus animarum, rebellés et dicant velle (?) obedere ». *Avixe testidazzenghi minitato, iuratio*

(1) Secondo il Salvi (*Istorie di Pistoia*, libro III, parte II, pag. 165) era potesta di Pistoia nel 1228, Pietro Torelli.